

Cumque uterque exercitus appropinquaret, tensis vexillis et tubis et clangis et omnibus belli instrumentis ab utraque parte sonantibus prelium magnum et ita iniquum incipitur, quod ab initio orbis non recordatur neque fertur, etiam in scriptis minime reperitur tale et ita magnum et iniquum fuisse, et etiam fieri posse est hominibus incredibile. Duravit namque bellum per septem dies, nocte et die preliati sunt inique, et multi ab utraque parte sunt interempti et vulnerati et in campo innumerabiles semivivi relictī. Capti sunt namque de Romanorum exercitu septem milia XLVI viri prudentes et bellicosi, de expeditione autem Iulii Caesaris quinginti LXXII viri bellicosi. Interrea Romanus imperator et reges qui cum eo in expeditione aderant percipientes suos in prelio deficere et fortissima tella inimicorum minime ferre posse, timentes, ne in virtute crudelium inimicorum devenirent, *terga retro vertentes fugam fecerunt; quos Iulius Cesar insequentes, in quadam munitione se¹ excluserunt, castra quidem sua iuxta illam figi precepit. Nocte vero adveniente timentes, ne in illa munitione eos obsiderent, appropinquante nocte clam et privatim de illa exierunt munitione et in quadam valle collibus undique circumdata, situ loci fortissima, fossis, ripis et rupibus² ab omni parte munita, omnes se coadunaverunt preter reges et illos qui in aliis fortitudinibus, locis et castris in illis partibus existentibus intraverunt. Die vero proxima accedente Iulius Cesar violenter est persecutus, et tensis aquilis et signis belli motis armati et asclerati insultum super eos facientes gravissime et fortiter illos undique expugnaverunt. Interrea reges omni gente eorum collecta in succursum Romanorum accesserunt. Certatur ab utraque parte iniquissime, duravitque prelium illud ab ortu solis usque ad occasum. Exientes autem de illa munitione gravissime sunt preliati. Fugati sunt tandem Romanus imperator et reges qui cum eo erant per montes, colles, nemora et silvas; quos Romani insequentes, partem eorum gladio interfecerunt, innumerabiles quidem eorum ceperunt, fere neminem evadentem preter illos qui in nemoribus et silvis se absconderunt. Diffusi et fugati sunt Romanus imperator et reges qui cum eo erant et alii viri nobiles et potentes per loca arida et inhabitata, per nemora *et silvas et dispersi per universam regionem. Quibus ita factis quilibet ad propria rediit.

Cum autem Romanus imperator et nobiles et prudentes urbis Rome viri non haberent, ubi caput declinarent, ad curiam Tholomei regis Ydorum iter eorum direxerunt. Tholomeus autem ipsos honorifice et decenter recepit ipsosque tamquam rectores et dominatores totius regni sui constituit et fecit. Intelligens autem Iulius Cesar Romanum imperatorem et viros

1) Fehlt Hs.; vgl. oben f. 27c, S. 331; f. 28c, S. 334. 2) 'rupinis' Hs.

*f. 29d.

*f. 30a.